

& obscurioribus enucleandis sua adhibuerunt dogmata, ex omnium Philosophorum sectis deprompta. Post hos, longâ intercedente Barbarie, exorti tandem sunt Doctores, dicti Scholastici, qui in Aristotelis verba jurantes, quotiescunque de divinorum eloquiorum sensu disceptatio oboriebatur, nihil nisi Peripateticis subnixum placitis in scenam prodixerunt, idque tantô studiô, tantôque impetu, ut Trithemius de istis doctoribus loquens dicat, *Philosophos seculares Theologiam suâ curiositate inutili fœdasse*; & Anton. Sadeël præfat. in lib. de verbô Dei scriptô, *Scholasticos illos, ob Philosophiæ cum Theologiâ confusionem, dicendos potius Philosophos, quàm Theologos*. Horum deinde vestigiis, quamvis non ità pressè, institerunt, quotquot à sede Romanâ defecere Christiani; donec denique hœc seculô Cartesianæ Philosophiæ lux quibusdam affulsit Theologis, quibus fordescere cœperunt S. Literarum interpretamenta, quæ hujus lucis radiis non illustrata prodierunt.

3. Denique idem id non obscurè testantur, & confirmant quàm plurima exempla difficiliorum S. Scripturæ textuum Philosophiæ ope explicatorum: Tot enim sunt, ut, si omnia hic in medium adferre satagerem, in maximum Exercitatio hæc nostra excresceret volumen. Unum alterumque ex principioribus adduxisse sufficiat. Ac

Primum esto de Deo, cui tanquam de homine loquens S. Codex, humana tribuit membra, dextram, oculos, aures, cor, &c. mortales affingit affectus, iram, pœnitentiam, amorem, &c. animales adscribit tam sensuum operationes, quàm motus differentias. At nihil horum Deo competere sanæ mentis statuet Theologus: non enim verè, & propriè tali corporis mole, qualem nos circumferimus, determinatum ac circumscriptum est Ens illud perfectissimum infinitumque: Unde etiam nec animi motibus agitatur, nec sensuum ministeriô in rebus percipiendis utitur, nec membrorum motum, ut se aliquò conferat, adhibet. Quamobrem jure meritô quoque unanimi consensu monent Theologi, talia de Deo dici quidem *ἀνθρωποπαθῶς*, at *θεοπραπῶς* intelligenda esse, atque explicanda. Verumenimverò quis ipsos hæc edocuit? quis, quid *θεοπραπῶς* sit monstravit. Non Scriptura, nusquam enim hæc explicat, quænam Deo per *ἀνθρωποπαθειαν*, & quænam propriè tribuantur; quænam *θεοπραπῶς* & quænam simpliciter interpretanda veniant. Ergo Natura, ergo Philosophia, quæ naturæ lumine, & Deum esse, & quæ illi adscribenda, quæ deneganda sint, evidenter demonstrat. Sed verò excipientes magnô fervore mihi hic audire videor Theologos, atque asserentes, S. Scripturam in quibusdam quidem locis loqui *ἀνθρωποπαθῶς*; at in multis aliis *θεοπραπῶς*, atque ex his se, quid *θεοπραπῶς* sit, satis erudiri posse, adeoque in horum enucleatione Philosophiæ adminiculô nequaquam indigere. Verùm mihi placidè respon-

respon-